



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

IV. Quomodo Bolezlaus per ductorem militiæ suæ Petrum Ruthenos capto
rege circumuenerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Quomodo Boleslaus per Ductorem militia
sua Petrum Ruthenos capto Rege
circumuenerit.*

CAPVT QVARTVM.



Ex verò, & omnes Principes Ruthenorum, sine amicitia & pacè Ducis non se quietos fore perpendentes, viam inueniendæ mutæ pacis & gratiæ, illius prudentiæ ac fidei committendam præsumpserunt. Ille verò hanc honestissimam ratus viam statuendæ atque firmandæ pacis, filiam ipsius Regis petiuit & accepit uxorem; videlicet, vt hoc affinitatis commercio tam Principes ipsi, quàm subditi, & terræ vtriusque populi pacem ad inuicem haberent perpetuam, atque in necessitatibus & opportunitatibus suis mutuò sibi contra hostes præsidio forent, atque auxilia portarent. Colebant ergò se mutuis beneficiis socer & gener, magnificatusque est Boleslaus & confortatus, ac prosperatus vndique, nec vlla ei erat contradictio, vniuersis potestatis suæ terminis hoste nullo turbatis.

Verùm ea perfunctoria & breuis erat tranquillitas. Nam post annos paucos Ruthenissa, vxor Boleslai, moritur, vnum tantum ei filium relinquens: vnde, quasi rupto vinculo, quo tota inter generum & locerum constabat amicitia, dudum consopita bella paulatim recrudescunt. Boleslaus igitur feritate gentis permotus cum suis consilium habuit, quo nam modo rediuiua mala hæc propulsare potuisset. Habebat autem Petrum quendam militia Ductorem virum acris ingenij & fortem robore, de quo dubium, vtrum in armis, an in consiliis maior fuerit: qui erat Præfectus à Duce super viros bellatores. Hic adscitus consilio; *si suū tantum, inquit, Rutheni viribus dimicarent, illos à nobis conterere difficile non esset. Sed, habent Flauros, habent Prussos, habent etiam Pomeranos, gentem idololatram, inuisam, ac nimis indomitam: quos omnes simul in arma prouocati.*

*Boleslaus com-
muni sibi sum-
gò filiam Regis
& Ruthenorum.*

*Moritur vxor
Boleslai.
Recrudescunt
bella inter Po-
lonos & Ru-
thenos.*

*Consilium Pe-
tri Ducis.*

care, quàm durum sit, in experti non sumus, quamvis antè de his triumphos habuerimus. Quæcirca meo animo consilium incidit Ruthenos arte melius superari. Et ne quis impossibile hoc æstimet, ecce vadam ad illos, & incruentam nobis de Tyranno victoriam reportabo, Deo mihi prestante ingenium.

Mirificum strategema.

Sed quid multis? Placuit Duci & Principibus, experiri, si effectum habere verba Petri queant: assumptisque viris quasi triginta robustissimis, ficta necessitate, Petrus ad regem transfugit Ruthenorum, cumque arte sermonis circumuentum, quod malè de Duce sentiret, æstimare fecit. Et Rex, eò quòd fidem haberet homini, quem etiam prudètem sensit, ad multa negotia sua eius familiaritate usus est, sperans, quòd tandem per eum de Polonia totà posset triumphare. At Petro aliud mentis erat. Nam cum die quadam fictus transfuga, ipsiusque socij cum Rege in saltu nemorum venandi gratia vagarentur, Rex nihil mali suspicatus, occasione ferarum longius à mœnibus abscesserat, elongatisque alijs, Petrus cum suis circa illum remanserat. Qua fretus opportunitate, capto Rege, incruentam, vt pollicitus erat, de Ruthenis victoriam Domino suo Duci reportauit: mirumque dictu, effera gens illa, hoc facto ita edomita est, vt nunquam postea, viuento Duce, ne quidem de bello cogitaret. Nam pro ereptione sui, Tyrannus, quidquid maiorum suorum studio ac solertia in thesauris collectum habere poterat, dare coactus est: aurum & argentum, & quæcunque preciosa in vasis & vestibus, & varijs opum speciebus; quadrigis & camelis in Poloniam apportantibus, ita vt Ruthenia tota insolita paupertate contabesceret. Deinde vbi fœdera mansuræ pacis iureiurando tam Rex quàm optimates Ruthenorum solidauerant; etiam hoc polliceri fide firmissima rogati sunt, ne Pomeranis vltra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus Dux manum leuare cogitauit.

Fictum transfugium.

Petrus capit Regem Ruthenorum.



g Quomodo